

**Breve Apostólico
Cum Societatis, por
el que Su Santidad
Pío XII concede
diversas
indulgencias a los
miembros de la
Sociedad Sacerdotal
de la Santa Cruz y
Opus Dei; 28-VI-1946.**

“El itinerario jurídico del Opus Dei. Historia y defensa de un carisma”. Libro escrito por A. de Fuenmayor, V. Gómez-Iglesias y J. L. Illanes

17/01/2012

AGP, Sezione Giuridica, IV/12251.

PIVS PP. XII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum SOCIETATIS SACERDOTALIS
SANCTAE CRUCIS ET "OPUS DEI",
quam dilectus filius IOSEPH MARIA
ESCRIVA DE BALAGUER Y ALBAS,
Sacerdos, Doctor, tam magnifice
constituit tamque humaniter
moderatur, ardenti studio, mirae
operae laborique fructuosissimo par-
sit Nostra quoque fervida consensio
ac propensa voluntas, periucundum
nunc Nobis est hisce in Litteris,
quarum tenore eiusdem piae
Societatis Sodales spiritualibus
Indulgentiarum muneribus
decoramus, uberrimorum repetere
memoriam fructuum quos, pro Dei

gloria animarumque salute,
praeclarus Conditor brevi temporis
spatio sed constanti industria et
diligentia sua percipere potuit. Nam,
vehementer gratulante ac
peramanter benedicente Venerabili
Fratre Matritensium Episcopo, in
ipsa civitate Matritensi die II mensis
Octobris anno MCMXXVIII orta, co
consilio ut eius Sodales in eruditione
ac doctrina praestantes
praecipueque earum magistri divinis
praeceptis obtemperent atque, ad
instar religiosorum sed in saeculo
vientes, Christianae vitae
perfectionem persequantur, Societas
avide se promisit et impensius
incubuit in iuvenum superiores
scholas ac studiorum Universitates
celebrantium mentes fingendas ad
humanitatem, ad virtutem, ad
religionem. Non modo intra
Hispaniae fines sed in longinquas
quoque regiones, favente Deo, se
pandit beneficus Sodalium labor, ut
lux videlicet et ventas Christi in

mentes pervaderet praecellentium
eruditorum utque hi quoque vicissim
lucem veritatemque Christi exemplo
ac doctrina cum aliis
communicarent. Nec silentio
praetermittendus est apostolatus
benemeriti illius Sacerdotis, qui,
charitatis spiritu infammatus,
pauperibus pueris egenisque aegrotis
consuluit, eorumque animos
religiosis sensibus ac sana doctrina
imbuendos curavit; quique
fructuosissime constanterque a
spiritualibus adfuit viris laicis vel
sacerdotibus vel etiam religiosis, qui
acres et industrii in mentis et
religionis agitatione apud Hispanos
fuerunt et etiamnunc exstant. Quae
cum ita sint, enixis Nos votis
peramanter annuendum censemus,
quae benemeritus Praeses supra
laudatae Societatis Sacerdotalis
Sanctae Crucis et "Opus Dei" ad Nos
humiliter tulit, benigne quoque
fervidis precibus attentis dilecti filii
ALVARI DEL PORTILLO Y DIEZ DE

SOLLANO, sacerdotis, doctoris,
eiusdem Instituti Procuratoris
Generalis. Quo tam frugifera Societas
potiora capiat, opitulante Deo,
incrementa, Nos, Apostolica Nostra
Auctoritate, praesentium Litterarum
tenore, omnibus et singulis utriusque
sexus Christifidelibus, qui in
praelaudatam Societatem seu Opus
ascribentur, die primo eorum
ingressus, si, vere paenitens et
confessi, Sanctissimum Eucharistiae
Sacramentum sumpserint,
PLENARIAM; -pariterque omnibus et
singulis Sodalibus nunc adlectis vel
in posterum ipsam in Sodalitatem
sive Opus adlegendis, item
paenitentibus et confessis ac Sacra
Communione refectis, -quo die
unusquisque eorum Sodalitati, ad
tempus, se obtulerit vel fidelitatis,
perpetuo, verba conceperit; -semel in
mense, si ad sua liberalia opera
integrum per mensem cotidie
aliquam piam adiunixerit
invocationem; -in festis diebus

Domini Nostri Iesu Christi et Beatae
Mariae Virginis, in Kalendario
Ecclesiae universalis significatis,
Sanctorum Archangelorum
Michaelis, Gabrielis et Raphaelis,
Sanctorum Angelorum Custodum,
Sancti Iosephi, Deiparae Virginis
Sponsi, Sanctorum Petri et Pauli
Apostolorum, Sancti Ioannis
Evangelistae, Omnia Sanctorum; -
die XIV mensis Februarii, si peculiari
Sacrae functioni pro gratiarum Deo
actione adstiterint, etiam
PLENARIAM; -ac sodalibus nunc
adlectis vel in posterum ipsam in
Societatem sive Opus adlegendis, in
cuiuslibet eorum mortis articulo, si,
item vere paenitentes et confessi ac
Sacra Communione refecti, vel,
quatenus id (acere nequierint,
saltem contriti, Sanctissimum Iesu
nomem ore, si potuerint, in minus
corde devote invocaverint et mortem
de manu Domini, tamquam peccati
stipendum, patienter susceperint,
PLENARIAM similiter

INDULGENTIAM misericordíter in
Domino concedimus. Praeterea
iisdem Sodalibus, qui, saltem corde
contrito, in suis liberalibus operibus,
ut supra, aliquam piam adiunixerint
invocationem; -et qui Sanctae Crucis
signum, in oratoriis Instituti erectum,
pia mente deosculati fuerint vel
coram ipso aliquam piam precem
iaculatoriam recitaverint, quingentos
dies de iniunctis eis, seu alias
quomodolibet debit is paenitentiis in
forma Ecclesiae consueta relaxamus.
Quas omnes et singulas Indulgentias
et paenitentiarum relaxationes,
excepta plenaria Č in articulo mortis
lucranda, etiam animabus
Chistifidelium in Purgatorio detentis
per modum suffragii applicari posse
indulgemus. Contrariis quibuslibet
nihil obstantibus. Praesentibus
perpetuo valituris. Volumus autem ut
praesentium Litterarum transumptis
seu exemplis, etiam impressis, manu
alicuius Notarii publici subscriptis ac
sigillo personae in Ecclesiastica

dignitate vel officio constitutae
munitis, eadem prorsus fides
adhibeatur, quae ipsis praesentibus
adhiberetur, si exhibitae ve; ostensae
forent.

Datum Romae, apud Sanctum
Petrum, sub anulo Piscatoris, die
XXVIII mensis Iunii, in festo SS.
Cordis Iesu, anno MCMXXXXVI,
Pontificatus Nostri octavo.

De speciali Sanctissimi mandato

Pro Domino Cardinali a Secretis
Status

L + S Dominicus Spada

a Brevibus Apostolicis

A. de Fuenmayor, V. Gómez-
Iglesias y J. L. Illanes

pdf | Documento generado
automáticamente desde [https://
opusdei.org/es-es/article/breve-
apostolico-cum-societatis-por-el-que-su-
santidad-pio-xii-concede-diversas-
indulgencias-a-los-miembros-de-la-
sociedad-sacerdotal-de-la-santa-cruz-y-
opus-dei-28-vi-1946/](https://opusdei.org/es-es/article/breve-apostolico-cum-societatis-por-el-que-su-santidad-pio-xii-concede-diversas-indulgencias-a-los-miembros-de-la-sociedad-sacerdotal-de-la-santa-cruz-y-opus-dei-28-vi-1946/) (14/07/2025)